

15 cile acceptandæ, nihil aliunde constet, & hac de causa noto in sacra historia nullum morbum per hujusmodi evacuationem fuisse curatum, (nisi fortasse objicias Tobia cæcitate in Veteri, & cæcitate Pauli in Novo Testamento, at hoc non ob aliud factum est, nisi ut pateret, eas sanationes undequaque miraculosas fuisse, neque ullum in ea re posset asserre dubium aliqua præsumpta dependentia ab ipsa Natura.

Tertia conditio est, ut sanatio fiat subito, & in instanti, ac præter spem; Malvetius de Canoniz. sancti. dub. 3. num. 2. 5. & hoc quia Natura operatur per alterationem, & ideo operatur in tempore, quia alteratio in instanti fieri non potest, cum motus in instanti non fiat. Arist. lib. 6. Physic. ix. 7. 4. & ibi Averrois in Parap.

17 Quarta conditio est, quod sanatio sit undequaque perfecta; Marc. Anton. Genuensis in prax. Archiepisc. Neap. cap. 59. Martin. Delr. lib. 3. Disquisit. Magic. quæst. 7. Ricc. in prax. Episc. resolut. 487. num. 7. & ex Medicis Fortunius Licet. in lib. de his, qui diu sine alim. vivunt, lib. 2. cap. 172. in fin. & ju-re, quia cum miraculum à perfectissima causa emanet, opus perfectissimum sit oportet.

Has omnes ergo conditiones adfuisse in hoc casu manifestissime patet; nam quoad primam, jam per testium depositionem apparet administrata remedia, & præcipue manuales machinationem, quæ hic maxime locum habebat, cum per eam tantum posset reduci partus ad naturalem figuram, nihil omnino contulisse, ut unanimiter testes deponunt, unde neque ullis aliis remediis spererat locus, quod aperitissime fatetur testis 17. super 27. qui Medicus est dicens. *E pero ne feci il Pronostico, che quanto all' Arte della Medicina non ci fosse rimedio.* & probatur evidenter ex facto, quia licet non desint generosiora remedia, ut balnea, repetita concussiones, & tandem exercitio, tamen quia priora hic non habebant locum, & posterius ægra præ debilitate non admittebat, prudenter quidem prætermittentur, admonentibus DD. hæc non debere nos machinari, ubi præ debilitate servari non possit patiens, sed eam ut desperatam omnino relinquendam. Aetius loco cit. Avicenna ibid. cæterique omnes cum de sectione verba faciunt.

Quoad secundam conditionem nihil est in nostro casu consideratione dignum, quia sanatio consistebat in expulsiōe fetus, in quo casu non consideratur concoctio, sed bene situs conveniens ipsius

Pueri; unde si naturaliter nasci debuisset, dico ex Natura ipsius beneficio, necesse erat, ut ante ad naturalem situm reduceretur, & tamen constat de contrario ex Medici depositione testis 17. ibi. *Ritornando jo la sera del med. giorno intesi, che la creatura era morta, e stava ancora nella med. positura.* Adde his, quod nullum apparuerit signum resurgentis Naturæ, aut aliquo modo invalentis, ut fieri in his casibus solet, in quibus sternutatio signum salutis est. Hippocr. lib. 5. Aphor. 7. at hoc non modo ob concitationem, sed etiam quia Naturæ validioris specimen præbet, bonum esse solet; sed in hoc casu neque supervenit sternutatio, nec si supervenisset, quicquam contulisset, cum fetus eo modo potius nullo modo expelli naturaliter posset.

Quod pertinet ad tertiam conditionem nullum videtur posse intercedere dubium, quia non modo partus sine expulsiōe mortui fetus subito, & in instanti successit, cum esset ex parte Naturæ impossibilis, sed etiam præter spem, non imperitorum, inquam, sed etiam peritorum, ut ex ipsorum depositionibus patet. Nam ibid. super 27. *Et jo confesso in vestra, che in ventio peattro anni che jo questa professione non mi son mai trovato ad accidente simile & 17. super eodem delohi jo facendo il segno della santa cruce, &c.*

Quoad quartam denique, (quæ per se sola profecto in hoc casu posset hoc opus pro miraculo canonizare) manifestum est, sanationem hanc fuisse perfectissimam, quia cum similes partus in via naturæ soleant compellere mulieres in hernias, in venarum rupturas, in Arteriarum delationes, in uteri inflammationes, aut in irreparabilem ejusdem exitum, & in alios etiam peiores morbos Avic. 2. 1. 3. tract. 2. cap. 21. imo ulterius consuecant cum jam corpus intumuit, ut evenerat huic Puerperæ, vomitum accerlant, & cum tremore mortiferam nervorum distentionem Cels. lib. 7. cap. 24. in hoc casu non modo nullum eorum malorum successit, sed mulier feliciter, ac celeriter à conceptio voto per D. Canonicum ejus Fratrem B. Gregorio peperit, & undique sana permansit, ut ex dictis testium elicatur. Atque etiam si in tam difficili, ac tam molesto partu debuissent ex necessitate remanere saltem vestigia aliqua prægressi morbi, ut ipsius uteri hiatus, & laceratio, & hujusmodi, nihilominus ad majorem miraculi evidentiam tam sana Puerpera remansit, ac si naturaliter, feliciter, & absque ulla vi peperisset.

etiam ex ejus virtute videntur miracula contingere, & talia, ut ab ejus potentia emanare minime credantur. Probari autem videtur ex ejusdemmet Physici præsentis testis ad hoc examinati dictis, casum fuisse quidem & arduum, & difficillimum, non tamen in via Naturæ impossibilem. Ita enim deponit super 17. *Por che nel continajo di quelle, che si riducono a tal termine, a gram fuita una nes campà.* Satis superque ergo ostendit Naturæ potentiam, si non modo inter centum, sed inter mille, immo inter decem mille una femina eo modo constituta sanitati ex ejus virtute restituitur; quemadmodum etiam hominem sine externo cibo vivere rarissimum sit, nec de facili reperibile, cum vix unus, aut alter in innumerabili hominum multitudine sine cibo vivere poterit, non ideo supra Naturæ vires est, si id unus, aut alter facere poterit. Auger facti possibilitatem quotidiana experientia, cum in horas videamus, Pueros in nates, in ventrem, in latera, divaricatis cruribus, aut brachiis extensis, altero pede tantum excolto, non tantum nasci, sed nasci etiam vivos, & inermes, matre quoque incolam permanente. Pro hujus dubii solutione supplicamus, casum hunc non simpliciter, & solum ut partum difficilem considerari, sed ut talem partum difficilem, hoc est, cum omnibus, ac singulis concurrentibus circumstantiis; nam si hoc modo consideretur, facile erit determinare, neque Naturam, neque Artem quicquam in eo casu cooperatam; imo non modo nihil alterutrum fuisse operatam, sed neque quicquam operari potuisse, & sic Medici dictam non restringit ad hunc difficilem partum, sed ad statum Ægotantis, quatenus erat jam exspiratura animam, unde dicit di quelle, *che si riducono a tal termine;* quæ verba non ad partus difficultatem, sed ut dixi, ad statum Parturientis referuntur. Sed quoad Artem probatur ex facti narratione, cum neque medicamenta, neque ulla alia remedia medica quicquam contulerint, unanimiter omnes testes deponunt, præterquam quod non datur hic locus aliis remediis, quam manuali machinationi, quæ jam frustra Medici usi fuerant. Neque dicendum est, quod etiam præsidia Medica adhibita statim non contulerint, potuerint tamen temporis lapsu contulisse, cum operentur per alterationem, & in tempore, aut saltem potuerint disponere Naturam ad agendum, quia, ut dixi, hinc nulla Arti remanebat intentio, nisi operari ut fetus exertum brachium intro reduceret, quia eo modo nato non poterat, neque à matre expelli, neque

agitationibus, & hujusmodi machinationis, quæ omnia incausum jam fuisse tentata ex depositione testium manifestissimum sit.

Impossibilitatem porro operandi ipsius Naturæ deducimus ex causarum naturalium insufficientia, ex ineptitudine, & repugnantia materie, & ex operis ipsius successu. Insufficientia causarum satis superque demonstratur, quia, ut alias diximus, in hac actione, quæ dicitur Partus causa primario agens calor ipse est, & spiritus, vires nempe tam matris, quam fetus, Hippocr. lib. 2. de morb. mul. & alii omnes. Vires igitur tanto magis constare debent, quanto difficilior partus est ex cod. Hippocr. ibid. & ex Avic. 2. 1. 3. tract. 2. cap. 14. At qui calor, qui spiritus, quæ vires considerari possunt in Matre agonizante, in Pueri jam mortuo? in illa enim jam omnia deficiebant, in hoc autem jam profus defecerant, Sperare igitur ab his causis eo modo dispositis partum facilem, ac tutum, qualis successit, profecto magis quid est, quam sperare, mortuum propria virtute resurgere.

Non minor repugnantia erat ex parte materie, quam esset ex parte agentis; materia vero in hoc casu Puer erat in utero mortuus cum brachio exerto extra uterum, in quo situ etiam si vivus fuisset, & Matris vires fuissent validissimæ, ac robustissimæ, erat impossibile in via Naturæ ut nasceretur, quia ut dictum est ob impossibilitatem expellendi, aut extrahendi fetum ab utero eo modo positum, suadent Auctores, ut primo brachium intro, si fieri potest, retrudatur, sin minus, abscindendum jubent, fetu existente mortuo; nimirum quia trahere etiam per summam vim infantem eo modo situm, ab utero, succedere non potest, nisi totus uterus dilaceretur, ex qua dilaceratione quam certa, & evidentissima pericula imminant ostendit Avic. ubi supra: Sed præter Auctoritatem, etiam Ratione, & Experientia id ipsum probatur. Ratione, quia cum in fetu, qui alterum brachium extra uterum porrigat, necesse esset, ut admonet Mercurius in lib. 2. illa Comm. cap. 3. Caput ad pectus, vel ad scapulas contorqueret, & conduplicari, fiebat, ut secundum crassiores corpulculi partes simul junctas Puer exire cogere; habent enim pueli superiora inferioribus crassiora; & præsertim caput, teste Hippocr. in lib. de Nat. Puer. Inde fit, ut non possit illo modo ea ratione situs fetus ab utero egredi, neque etiam per vim eo modo extrahi, quia non potest uterus tantopere hauri, ut has partes simul exeuntes excipiat.

Denique ipsa experientia demonstrat facti impossibilitatem, cum defacto nullus neque vivus, neque mortuus nascatur eo modo saltem sine certa Matris perniciæ. Auctores enim Gyneciorum vel de his, quæ ad mulieres spectant, cum difficiles partus plurimos recensent in Nates, in Latera, in ventrem, diductis brachiis, aut cruribus seu etiam ambobus brachiis, aut cruribus natos fuisset, nunquam similem huic casum naturaliter successisse narant, saltem, ut dixi, sine certo Matris periculo. Cum igitur satis demonstrata sit tam Artis, quam Naturæ invaliditas operandi in hujusmodi casu, remanet, ut ex supernaturalis causæ virtute successerit, quod quidem non modo ita successisse censendum, sed facta comparatione cum aliis consimilibus casibus, dicendum, hunc nostrum multo magis exuperasse Naturæ creatæ vires, quam permultos alios ab hac sacra Rota Roman. pro miraculosis canonizatos.

CONSILIVM X.

ARGUMENTUM.

In eadem causa responderetur magis præcise ad aliquas objectiones ab Illustrissimis Dominis Sacræ Congregationis Rituum propositas.

SUMMARIUM.

- 1 Ex Naturæ vi miracula aliquando videntur contingere, & quomodo.
- 2 Fœtus in partu, si brachium foras porrigit, nasci non potest, nisi brachium intro reduceret, & num. 4.
- 3 In partu actione causæ primario agentes sunt vires Matris & fetus.
- 5 Sani non dicuntur morbus, qui alterum motum faciunt.

1 Licet plura jam deducta sint ad probandam miraculi evidentiam in casu de quo agitur, ut tamen quis exciatus scrupulus omni ex parte removeatur, nonnulla videntur prædictis addenda; nam ad huc dubitatum est, an hoc factum Naturæ vires superaverit; etiam enim difficillimum fuerit, & supra quam dici possit, Dominam Alexandram eo modo peperisse, ac immediate bene se habuisse, tamen difficultas hæc quancunque sit, non excludit Naturæ potentiam; nam aliquando etiam

zatos, ut patebit clarissime, si hic cum eo æquiparetur, de quo in Relat. Proc. S. Didaci in ea parte, ubi de mirac. agitur, & cum altero, de quo in Relat. Canonizat. S. Raimundi par. 2. art. 11. mir. 3. & cum alio, de quo in Relat. Canonizat. S. Caroli par. 3. mir. 14. Quod si huic simillimum, & in terminis à Rota jam pro miraculoso approbatum desideramus, supplicamus considerari secundum omnes suas partes historiam ex B. Franc. Borgiæ relatione desumptam par. 3. art. 2. mir. 1. & clarissime videbimus, nihil omnino quoad virium Naturæ exuperantiam nostrum hunc casum ab illo deficere.

Videbatur tamen Illustrissimis DD. meis, non esse sufficienter probatum, quod D. Alexandra pepererit infantem in ea adhuc figura, ac situ permanentem, in quo testes deposuerant illum permanere in princ. partus, unde cessaret absque dubio impossibilitas, quam dicimus, nascendi eo modo, reducto enim brachio potuit puer ad situm naturalem suo ipsius pondere, vel manuali Obstetricis opera converti, & sic ex Naturæ vi ab utero exire. sed evidenter deducitur ex ipsorum Testium depositionibus, Puerum non fuisse unquam ad naturalem situm conversum, nec brachium reduxisse, sed in eo situ permanentem natum fuisse: cum enim omnes concordent de exitu brachii, nequam de reductione quicquam memorant, quod non reticuisissent, quia ex brachii reductione omnis salus patientis dependebat. Ergo si Puerulus brachium reduxisset, Medicus, Obstetrices, & Assistentes de salute mulieris non modo non desperassent, sed optimam spem concepissent; at contra omnes illam pro desperata reliquerant, & Medicus præcipue ibi, e ne feci il pronostico, che quanto all' Arto della Med. non vi fosse rimedio. Deinde idem Medicus, cum redisset vespere ad invendum Ægram, deponit de continuatione ejusdem positus ibi. *Ritornando jo da novo la sera d'l. med. giorno mesi, che la creatura era morta, e stava ancora nella med. postema.* A Medici autem visitatione ad horam partus non multum temporis intercessit, cum D. Alex. hora 1. noctis ejusdem diei pepererit, & visitatio hæc Medici esset vespertina, immo, ut ipsemet dicit, de sero; itaque satis probata remanet continuatio fetus in eo situ usque ad partum, & in partu, ut à principio apparuit.

Sed ex consequentibus manifestissime excluditur Natura ab operatione, nam dato etiam, ut alias dixi, quod per vim Mulier hæc eo modo positum infantem ejecisset, aut ipse idem infans per vim ab utero fuisset extractus, nunquam tamen omnino aut hoc, aut illud succedere potuit naturaliter absque notabili uteri laceratione, eo quod impossibile esset, quod exeunte fetu, capite ad pectus vel ad scapulas

conduplicato, uterus totus non discinderetur, & exinde immodica sanguinis quantitas, disruptis ac laceratis cujuslibet generis vasis, non emanaret, unde summa debilitas consequi debuit, syncopsis, extremorum refrigeratio, & alia mille horribilia incommoda, & symptomata, immo & ipsa mors; præterquam quod etiam impossibile erat, ut hoc succederet absque intolerabili dolore, ad quem sequi ulterius febrem, inflammationem, & alia per multa id genus erat omni ex parte necessarium. At D. Alex. absque ullo prædictorum incommodorum peperit, nec quicquam eorum ad ejus partum consecutum est, quod consequi de natura rei oportebat: nam certe etiam si peperisset, & tamen aliis morbis conflata remansisset, non poterat dici sanata, neque enim sanari dicitur morbus, qui alterum morbum facit, Gal. 6. Aphor. 2. 6. Quod denique opponitur de voto Canonici, de quo ipse solus deponit, & idcirco videtur esse testis singularis, licet ad alios diluere pertineat, tamen si licet mihi quicquam in hoc profertre, non videtur ullo modo obfistare: nam præter ea, quæ à doctissimo Iureconsulto deducta sunt, multum ad ejus validitatem facere videtur, quod in similibus quotidie Testes singulares admittuntur, alias rueret potior miraculorum pars, & præsertim, quæ de sanctorum apparitionibus, & his similia celebrantur: sed hæc iis, ad quos spectant discutienda, relinquimus; Mihi satis sit concludenter probasse hoc factum vires Naturæ adeo exuperasse, ut non sine summa ratione in secundo miraculorum gradu reponendum esse censam, distinctis miraculis per gradus, ut distinguenda dixi lib. 4. Quest. Medico-legal. quest. 2. m. 12. ubi in secundo ordine ea collocanda existimavi, quæ Deus operatur nullis medianibus naturalibus causis, licet alias idem effectus per eas succedere possent.

Admodum Illustri atque Excellentissimo Viri
D. GABRIELI NAVDÆO Medico
Parisiensi, ac Viro Clarissimo.

Paulus Zacchias Med. Rom. Fæl.

Non uno nomine Tibi me plurimum debere fateor, sed eo maxime, quod tam prompto, quod tam benigno Animi affectu me, meaque perpetuo prosequaris; hæc benignitate pellectus libenti Animo hosce labores meos denuo Typis committo; video enim eos Te nonnihil facere, ac ut lucem orationes videant promovere. Obsecro, ut eadem Animi propensione eos fovere non desistas, interimque pauca hæc, quæ tuo nomini inscribo, pro eadem Animi propensione excipias, & me Tibi tot nominibus devotissimum, ut soles, ama, ac vale.

CONSILIVM XI.

Eidem D. Abbati.

ARGUMENTVM.

Sortitus à nativitate est Illustrissimus ac Reverendissimus D. Alexander Buccabella Rotæ Romanæ Auditor, meritissimus naturam imbecilliolem, ex qua causa valetudinariam vitam, ac frequentibus, multisque morbis conflata perpetuo degit, ita ut cogatur, in ratione victus multa cautela uti, nam vel minima ex causa aut potus, aut cibi minus laudabilis,

bilis, illico in stomachi dolores, in ventris torsiones, in corporis, ac virium resolutionem, in aliaque labitur symptomata non aspernenda, quæ illi vitam acerbam faciunt. Et tamen, ut est Christianæ pietatis studiosissimus, non libenter inducitur, ut carnibus, similibusque cibis vesci pariat in diebus, in quibus ab Ecclesia Catholica iis vesci nobis non permittitur, vellet enim quantum ex se in prædictis diebus sanctis ejusdem Ecclesiæ præceptis undequaque obedire. Quærit igitur, an usus Piscium, & Ovorum, & abstinentia ab esu carniū possit adeo notabiliter ejus saluti incommodare, ut cogatur carnibus perpetuo uti.

SVMMARIVM.

- 1 Ciborum, quibus in diebus jejuniarum utimur, vitia.
- 2 Ova se convertunt in pravos humores, se stomachum pravis humoribus refertum offendunt.
- 3 Corpora debilia etiam à minimis erroribus in victu leduntur.
- 4 Corpus jejuniis affligere non licet in sanitatis notabile detrimentum.

Ad cuius rei decisionem consideranda primo est Natura ipsius Illustrissimi viri & affectus, quibus ciborum concoctioni inferunt constitutionem, Tertio naturam ciborum, quibus uti cogimur, ubi Carnibus vesci non licet. Et quoad primam partem palam est, Virum Illustrissimum Naturæ esse debiliorem ob caloris naturalis imbecillitatem & præternaturalis fortitudinem, ob quam facile resolutis spiritibus melioribus, calor naturalis indies imbecillior fit; atque hinc succedit, ut facili negotio à quacunque vel leviori causa detrimentum patiat, unde valetudinariam vitam, ut præfertur, perpetuo transigit, & multis affectibus præternaturalibus conflata, præcipue vero Hypochondriaci affectibus molestat, ex quibus mille symptomata maximi faciendi pati solet.

Quoad secundam partem facile patere potest ex dictis, quod vir Illustrissimus viscera omnia naturalia fortatur maxime debilia, ut quæ vix medicorum ciborum, alimentorumque atque humorum quorumcunque coctionibus sufficient, ita ut facile & ventriculi cruditatibus, & Hepatis, & Mesentericarum venarum, & multo magis Lienis contumacibus obstructionibus, immo & tumoribus sit obnoxius, ut ex ipso tactu, & ex copiosissimis, ac perennis flatibus cuivis licet deprehendere; quamobrem ultra prædictas symptomatum myriades, quæ Hypochondriacam affectionem concomitantur, facillime illum indefinenter exagitant, atque in perpetuo agone detinere consueverunt.

Quoad tertiam partem notissimum est, cibos omnes, quibus in jejuniis aliisque diebus, quibus à carnibus ex Ecclesiæ sanctæ precepto abstinemus, utimur, si ova excipiamus, partim esse frigidos & humidos, ac de facili corruptibiles, partim nimis calidos, partim inflativos, partim generativos humorum excrementitiorum, & maxime qui crassi sunt, & melancholici, partim etiam duræ concoctionis, ac partim facile putrescentes, omnesque denique ac singulos esse multum excrementitios, & flatulentos. Ova autem seorsim considerata, non dubium est optimum præbere alimentum, & nihil vitii in se habere, ubi stomachum sanum offendant, neque pravis humoribus refertum, alias si stomachum offendant male dispositum, & pravis humoribus oppletum, aut si cum ipso aliquam naturalem contrarietatem

habeant, tantum abest, ut bonum præbeant alimentum, ut potius in ipsos pravos & illaudabiles humores se convertant, quid autem si insimul contrarietatem Naturæ habeant? nam certum est, & testatur id ipsum Gal. lib. 1. de loc. aff. cap. 2. quosdam ova male concoquere, ac in pessimum nutrimentum convertere.

His sic stantibus omni procul dubio dicendum est, Illustrissimum Virum tali natura dotatum, ac prædictis affectibus conflatum, non posse aliis alimentis, quam laudabilibus carnibus vitam sustinere, & idcirco ex comestione quorumcunque aliorum ciborum etiam per diem unicum posse reportare insigne ac notabile damnum, quia corpora debilia etiam à minimis erroribus in victu leduntur. Gal. lib. 5. de sanit. tuen. cap. 4. fatisque esset ad notabile damnum reportandum unica tantum prætermisio carniū, & comestio piscium, aut aliorum similibus ciborum: nam, ut experientia ipsa quotidiana Virum Illustrissimum docuit, illico stomacho affligeretur, corpus flatibus repletur, vires insigniter deficerent, unde facili negotio Natura succumbere posset, indeque morbo aliquo notatu digno pullulante, in salutis certum discrimen laberetur; quod ne fiat, cogendus est, ut tam diebus Veneris, & Sabbati, quam quibuscunque aliis solis carnibus laudabilibus vescatur, ut vitam salubriorem degat, & melioribus operibus vacare possit; nam prohibemur omnino pro e. Non mediocriter de consec. dist. 5. in 3. par. decret. jejuniis corpus affligere, quando in notabile sanitatis præjudicium hoc redundat, cum corporis morbus à melioribus operibus, quam Iejunium esse videatur, prohibere nos solet.

Admodum Illustri atque Excellentissimo Viri,
D. RENATO MONREAV Medico
Parisiensi, ac Viro Clarissimo.

Paulus Zacchias F.

Nonnullas consultationes meas Medico-Legales ad Venenorum materiam pertinentes suo nomine muniri volui: Tu enim non ob Artis Medicæ tantum præstantiam, sed cum ob Animi virtutes, tum ob nominis tui claritatem facile pro Antidoto tuto mihi eris ad obtundendam eorum venenorum malitiam, quæ à maledicentibus contra hæc ingenio mei monumenta, evomuntur. Obsecro ergo, ut mea hæc serio uteri non desistas, ita enim mihi promittit humanitas tua, cujus locupletissimum Testem, atque instar omnium habeo Naudæum nostrum Virum Clar. & utriusque nostrum amatissimum, cui multum tum ob alia plura, tum ob id ipsum plurimum debere me ingenue fateor. Vale & me ama.

Elizabetha uxor Ioannis Baptistæ Gatti puerpera facta, cum ante partum male se haberet, & vomitu, & dysenteria molestaretur, à partu iisdem accidentibus majorem in modum est conflictata, nam vomebat assidue materias valde pravas, ac diversicolores, sapore ingratissimas, ex quibus summam corporis debilitatem & extenuationem patiebatur. Accusatus est ejus maritus quod illi propinasset venenum, unde dubitabatur, an hæc accidentia id attestarentur ita, ut aliis nonnullis conjecturis adjuncta, quas Fiscus, & accidentia producebant, ullam certitudinem facere possent propinati veneni, & pro ubi solutione aliqua supponenda prius duxi, ex quibus rei veritas innoscebat.

S V M M A R I V M.

- 1 Puerpera, nisi in partu ritè expurgentur, multis malis consiliantur.
2 Signa communia propinati veneni.
3 Quæ accidentia frequentius ad veneni assumptionem consequuntur.
4 Omnia venena sive mediate sive immediate cor ledunt.
5 Accidentia morbi debent esse proportionata ipsi parti affectæ.
6 Ex corporis impuritate potest in corpore generari venenum asserens omnia symptomata veneni assumpti.
7 Accidentia veneni ingentis ita similia sunt accidentibus veneni propinati, ut distinguere invicem non possint.
8 In corporis impuritate accidentia provenientia sunt ad ipsam referenda non ad venenum assumptum.
9 Vbi causam habemus certam, & evidentem, frustra incertam, & minus evidentem querimus.

Supponendum ergo primo, Gravidas, & Puerperas tanta corporis impuritate scaterere, nisi in puerperio per conlutas vias debite, & in sufficienti quantitate repurgentur, & ab ea corporis impuritate liberentur, ut facile in quemvis morbum labi possint, & quovis pravo, & admirando symptomate molestari; sed præcipue diarrhæa, & dysenteria, vomitu, febre modo acuta, modo longa, ciborum fastidio, stomachi, ventris, capitis, ac totius corporis doloribus, aliisque id genus affectibus, quos prosequitur Hyppocr. lib. 1. de morb. mul. & alibi, & Auctores omnes Gyneciorum, sive de morb. mul. cap. de diminut. Puerp. post part. & videndi præcipue Mercat. lib. 4. de morb. mul. cap. 10. & Rodericus à Castro, de morb. mul. lib. 4. cap. 11. p. 1.

dan. lib. 2. & alii quos registratos habes lib. 2. Medico-Leg. tit. 5. quest. 7. supponendum tertio, quod licet omnia prædicta accidentia possint promiscue in omni assumpto veneno apparere, de necessitate tamen non omnia apparent; inter omnia vero his non obstantibus magis videntur ea accidentia, & frequentius, & necessario consequi, quæ ad cor & vitalem pertinent facultatem, & ratio est, quia omnia venena sive mediate, sive immediate, cor ipsum maxime lædunt, Conciliat. aff. 178. & lib. de Venen. 4. cap. 1. Guainer. de Venen. respons. ad dub. 4. Cardinal. Ponzet. lib. 1. de Venen. cap. 4. Fernel. lib. 2. de Abd. rer. caus. cap. 15. Matthiol. in præfat. ad lib. 6. Dioscor. de mat. med. Langius lib. 1. epist. 65. & alii adducti cit. lib. 2. Quest. Medico-Leg. tit. 2. q. 2. num. 20. imo plerique volunt, omne venenum indifferenter immediate cor petere, ob rationes, de quibus ipsi. Nicol. Florent. summ. 4. ferm. 4. cap. 1. Andrin. de Venen. lib. 1. cap. 1. & alii.

Supponendum quarto, in quovis morbo accidentia debere esse proportionata & correspondentia parti affectæ, quia hæc sequuntur ad læsionem facultatum ipsius partis affectæ, quod late demonstratur à Galen. in lib. de symptom. causis. & differ. & in lib. de loc. aff. & alibi multies. & hoc est Medicis omnibus acceptissimum, sed quid inquam Medicis! immo etiam Idiotis quibuscumque, nam stomachum affectum nemo argumentabitur ex Tussi per se, neque affectas spirituales partes argumentabitur ex vomitu, sed potius contra stomachum ex vomitu, dolore ipsius, nausea, & hujusmodi, & partes spirituales ex Tussi, difficultati respirandi, & similibus affectas judicabit, & sic de cæteris.

Supponendum quinto, ex corporis impuritate facile evenire posse, ut humores in tantum corrumpantur, ut ex ipsis sic corruptis generetur in corpore vivente venenum aliquod asserens omnia symptomata veneni assumpti, & externi, Galen. comm. 2. in 1. Præbet. tex. 17. Cæl. Aurelian. Auctor. lib. 3. cap. 9. exemplo Hydropobis. Aver. lib. 3. Collig. cap. 29. & latissime Petr. Salus ex recentioribus de affect. part. cap. 19. & inter Iureconsultos Boffius in præf. crimin. tit. de del. num. 5. Caball. de omni. gener. homicid. cap. num. 261.

Supponendum sexto, in tantum esse similia accidentia, quæ à veneno ingentis eveniunt iis, quæ ex propinato pullulant, ut impossibile sit, certo affirmare ea accidentia unius potius, quam alterius signa esse, cum distinguere vere nullo modo possint. Accepta hæc conclusio est tam Iureconsultis quam Medicis, in quos vide cit. Boffium, & Caball. ubi supra. Gualpin. ad def. Reor. def. 4. cap. 5. lib. 1. & ex

ex Medicis Cæsalpin. lib. 3. præf. cap. 2. & lib. cod. cap. 47. Codronch. in method. Testif. cap. 17. & alios, quos adduxi in Quest. Med. loc. cit. qu. 6. per totum.

His positis dicendum primo, nullam præsumptionem desumi posse ex vomitu & dysenteria, qua Elizabetha uxôr Io. Bapt. Gatti affligitur, propinati veneni, Primo, quia ubi corporis dominatur imparitas, si quæ mala symptomata appareant, ad corporis impuritate referenda veniunt, non ad venenum propinatum, quia eadem corporis impuritas est causa magis frequens, & evidens, ac certa eorum symptomatum, & ubi causam habemus evidentem, & manifestam, frustra minus evidentem, ac magis dubiam querimus. Rota in novissimis decis. 70. cap. 1. & patet hoc per ultimum suppositum, at in hac muliere fuisse hanc corporis impuritate, patet, quia erat puerpera, nec bene à puerperio repurgabatur, ac mulieres in eo statu omnes absque dubio summa corporis impuritate scaten, ut probatur evidentem per primum suppositum; Ergo, si Elizabetha symptomatibus, de quibus conquerebatur, fuit apprehensa, non est mirum, quia omnia, & multo plura, ac pejora poterant à prædicta corporis impuritate procedere, ut in aliis quotidie animadvertimus; non ergo sunt referenda ad assumptum venenum. Secundo, quia accidentia, quibus ea mulier conflictata est, non sunt parti affectæ correspondentia, & proportionata, ut deberent esse per quartum suppositum; quoniam in venenis, ut manifestum est ex tertio supposito, semper læditur cor, at vomitus, & dysenteria non pertinent ad facultatem vitalem sive ad cor, sed ad facultatem naturalem, & pertinent ad partes naturales. non apparentibus ergo ullis signis demonstrantibus eor esse affe-

ctum, dicendum est omnino, singula, ac omnia symptomata in hac muliere à pravis humoribus dependentiam habuisse, non autem à propinato veneno.

Tertio, quia etiam apparentibus quibuscumque signis veneni maliitiam attestantibus, nunquam certo affirmari potest ea ex propinato, aut externo veneno, potius quam ex ingenito, & interno provenisse, cum in corpore ex se, per quantum suppositum, possit à pravitate humorum generari venenum, habens accidentia omnia veneni propinati, & alia ex parte tam interni, quam externi veneni accidentia ita similia sint, ut distinguere non possint, ut probatum est per ultimum suppositum.

Secundo dicendum in proposito casu contrariam omnino præsumptionem militare, nempe ea accidentia à veneno non potuisse esse, sed ab humorum pravitate, primo, quia quemadmodum ea accidentia sunt improporcionata veneno assumpto, quia ad cor nullo modo pertinet, ita sunt maxime proportionata impuritati corporis, & morbofo apparatu ex puerperii retentione provenienti; cum in puerperis ea accidentia ex tali apparatu provenientia sint familiarissima, ut manifestum est per primum suppositum. Secundo, quia cum impossibile sit in veneno assumpto cor aliquo modo non affici, necesse erat ex cordis affectu pejora mala consequi, & perseverantibus cæteris veneni assumpti symptomatibus, non solum perseverare, sed magnum incrementum capere debebant symptomata ad cor ipsum pertinentia, quæ cum abint, apertissime demonstrant, cor nequaquam esse affectum, & consequenter ea symptomata ex veneno assumpto non provenisse.

CONSILIVM XIII.

Eidem D. Monreau.

ARGUMENTUM

Prætebat Fiscus, Ioannem Baptistam Gattum, ut in superiori argumento dicendum, propinasse Elizabethæ propriæ uxori pulverem quandam venenosum, ut eam è medio tolleret, & notam habere dicebat se illius pulveris compositionem, dubitabat ergo an pulvis ille vere esset venenum & aptum occidere mulierem, & Medico docto quidem pro Fisco scribente, & affirmative respondente, nos contrarium tuebamur.

S V M M A R I V M.

- 1 Venenum dicitur non solum noxium, sed etiam salubre medicamentum.
2 Antimonium venenositate caret.
3 Sabina non est venenum.
4 Non sunt necessario venenosa quæ ferunt aut expellunt, aut etiam occidunt.
5 Oleandri folia non sunt venenosa.
6 Serpens columbarium non est venenum.
7 Borax est species Nitri, & non est venenum.
8 Venenum dicitur id, quod semper tale est.
9 Totum est aggregatum partium.
10 Nihil dat quod non habet.
11 Medicamenta sterilitatem inducunt licet aliquando propinati.
12 Temporanea venena nullo manifesto signo se produnt.
13 Temporanea venena ex Tabescentium genere omnia sunt.

- 14 Nulla signa certa antecedentia dantur propinati veneni ad Medicos pertinentia.
15 Plura dantur signa antecedentia, quæ symptomata ab ingenito veneno prodire demonstrant.
16 Nulla signa dantur certa distinguunt inter venenum ingenitum, & venenum propinatum.
17 Ad venena administrata, maxime si reiterentur, absque dubio mori succedit.
18 Depilatio est signum familiarissimum assumpti veneni in iis, qui ab ipso veneno evadunt.
19 Venena, nisi occidant, relinquunt semper insignem & liquam noxiam, & morbos divinos.

Non facti evidentiâ, super qua totum suæ intentionis fundamentum facit Fiscus, illique adherentes, tam aperte, ac tam perspicue demonstraret, pulverem illum, quem exhibuisse prætebat Fiscus Ioannem Baptistam Gattum propriæ uxori ad eam finem & effectum, ut eam de medio tolleret, non

non fuisse venenosum, ego quidem informationi, seu potius volumini Phisici ex aduerso scribentis dato, longioribus satisfacerem, ac singulis quibusque occurrerem, pluribusque commonstrarem, pulverem illum, dato quod a Gatto fuerit cum effectu propriae uxori exhibitus, venenosum non fuisse, licet accepto veneni nomine, quo tamen non modo noxium, sed etiam salubre medicamentum denotatur, ut per *l. Qui venenum. ff. de verb. signif. & per nostros, ut per Guainerium lib. de ven. cap. 1. in princ. Valerios lib. 3. loc. comm. c. 18. & per alios. sed quia ipsa experientia ex facto emanans tantum per se operatur, ut non obstantibus quibuscumque in tam prolixo discursu deductis, quamlibet aniam contradicendi Fisco, & adhaerentibus adimat, brevioribus erit agendum.*

Constat autem de experientia praedicta ex iis ipsis, quae Ficus, & adhaerentes probata, & confessa existimant, nempe quod pulvis ille non semel aut iterum propinatus, sed pluries repetitus, non in una persona, sed in pluribus; non in homine solum, sed in aliis quoque animalibus, non in sanis tantum, sed in debilibus, & valetudinariis, imo & in infirmis, non modo in saturis, ac cibo repletis, sed in jejunis, ac famelicis, nunquam aliud operari poterit, quam vomitum excitare, & ventrem solvere, quae accidentia etiam a levioribus, & saluberrimis medicamentis cum anxietudine, & dolore, & animi defectu interdum quotidie excitari observamus. Atque id tantummodo satis superque esse deberet ad probandum, pulverem, de quo agitur, non fuisse venenosum; nam qua jam ulteriori experientia uti licet ad id probandum, si toties in usum convocatus in tot personis tot conditionibus inter se differentibus, nunquam veneni effectus producere potuit?

Verum tamen, cum in informatione pro Fisco data, multa opponantur, contra praedictum pulverem, & maximo operari insistat D. ex aduerso scribens in probanda venenositate simplicium medicamentorum, ex quibus pulverem illum constare Ficus praesumit, idcirco satius erit ejus ordine serurato probare conclusentissime omnia, ac singula medicamenta pulverem, de quo ambigitur, componentia, quacunque venenositate, ac quacunque deleteria facultate carere, & deinceps talem pulverem ex ipsis compositum non modo non posse esse venenum, sed nullo modo posse interirere, si recte, & cum debita cautione administratur.

Primo ergo praesumit Ficus in compositione hujus pulveris recipi antimonium, quod & stibium, & stibium alias dicitur, & de hoc plura deducta sunt, in informatione alias ad hunc effectum data, quam si reassumere Illustrissimus Dominus non gravetur, satis erit pro mente legendum proponere Baptistam Codrouchi non spemende auctoritatis Medicum in libello de Antim. in quo acerrime pro veritate tuetur, Antimonium omni venenositate carere, neque occulta neque manifesta qualitate noxium esse; quod multo melius probat quotidiana experientia, cum saepissime Antimonium etiam non praeparatum sine ullo vitae discrimine exhibetur, ut Matthiol. in Dioscor. lib. 5. de Mat. Med. cap. 59. & idem Codronch. ubi sup. & alii docent. Quod si in nonnullis Medicorum celeberrimis collegiis, & universitatibus Antimonii exhibitio interdicta sit iis, qui quocumque modo Medicinam exercent, dummodo Doctoratus lauream non sint consecuti, id non aliunde factum est, nisi quia hoc medicamentum temere

exhibitum, & absque cautione debita fortiter sumpta, & infra expurgat, ita ut ob id illud assumentes, de vita periclitari possint, non quod vere venenum sit, ut probatum est.

Sequitur porro in ordine medicamentorum praesumptum pulverem componentium, herba quaedam Sabina dicta, hanc multis nominibus Auctores vocitant; nam alii appellant Nerion, alii Arathy, nonnulli Baryton, ut Apuleius, alii Bratheon, ut Aemilius Macer, quam nullus unquam Medicorum, qui de ea verba fecerunt, esse venenosam determinarunt. videndus Dioscorid. lib. 1. de mat. Med. cap. 88. Galen. lib. 6. de simpl. Med. fac. lit. B. Paulus Aeginet. lib. 7. lit. ead. & alii: quinimo tum praecitati, tum alii Auctores Sabina ad multa utuntur in potu, ut ad mensuram scienda, Trotul. de morb. mul. c. 2. Paul. ubi supra. Montanus lib. 1. Anasceves morb. tom. 3. cap. 41. Fumanell. de med. compos. cap. 55. Pilo lib. 3. de cur. morb. cap. 56. Mercurial. lib. 2. de morb. mul. c. 3. Balduin. Ronficeus de Ham. vii. prim. cap. 18. & ne singulos recenseam, dicam omnes Sabina tutissime ad praedictos affectus uti, immo frequenter ejus exhibitionem laudat Macer, ad mortuum fetum expellendum, quin & ad Ictericam, Sabinam cum vino, & melle propinat, Plin. lib. 24. nat. hist. c. 11. Apuleius de viti. herb. c. 86. Ruell. de nat. stirp. lib. 1. c. 59. Baynus lib. 1. 5. c. 9. & ejus quoque succum ad faciendum partum laudat Faventin. in sua Empir. cap. 45.

Neque ex eo, quod abortum faciat, & fetum vivum aliquando interimat, & mortuum validissime expellat, urinam, & sanguinem eliciat, deducere possumus, eam esse venenosam, nam mille alia medicamenta sunt, quae eodem effectus, & valentiores praestare solent; & tamen non modo ab omni venenositatis suspitione sunt libera, sed innocentissima sunt, quorum silva extat apud Rei herbariae Scriptores, apud quos Pulegium, Centauream, Artemisiam, Dictamniam, & alia his innocentiore, fetum expellere valenter comperies; nec tantum expellere, sed etiam vivum interirere, ut amara omnia, etiam ipsas innocentissimas Amygdalas, & in summa omnia menstrua provocantia, ipsaque in cibis familiarissimum Petroselinum abortum facere docent: neque enim hi effectus expellendi, vel etiam interirendi fetum, urinam, vel etiam sanguinem per urinae vias sciendi, veneni proprie operatio est, sed omnia a tenuitate medicamentorum originem habent, ut omnibus in confesso est, & videndus praecunctis Gal. in lib. de med. fac.

Folia praeterea Oleandri, qui est tertius in ordine, quae tam venenosa facit Dominus ex aduerso scribens, venenosa non esse classici ipsi Auctores manifestum faciunt. Dicitur vero Oleander alias Rhododendron, & Rhododaphnes, & Rosago, & Nerion; de quo tam Dioscorid. lib. 4. cap. 77. quam Plinius lib. 16. cap. 20. & alii Antiquorum, & ex Recentioribus, Ruell. de Nat. stirp. lib. 1. cap. 125. haec docent. Oleander lumentis, Capris & Ovis venenum est; idem Homini contra serpentium venena remedium; Minur, inquit Plinius, folia ejus Quadrupedum venenum esse, Homini vero contra serpentes praesidium, Ruta addita, & vino pota. Quod si Galenus Rhododaphnen tota essentia venenum esse dixit, aliud quid per Rhododaphnen intellexisse dicendum est, quia experientia valere illum ad serpentium venenum, docet Matthiol.

thiol. in comm. ad lib. 4. Dioscor. cap. 77. qui hanc contrarietatem inter hos celeberrimos Medicos solvere idcirco nititur, volens Oleandrum remedio quidem esse his, qui a serpentum veneno sunt infecti, ut experientia forte confirmavit, sed his, qui non sunt commorfi, venenum esse; hoc tamen gratis a Matthiolo dictum esse ex ipsomet patet.

Ceterum stercus Columbinum ob id, quod cutim exulceret, & calidissimum sit, venenosum putat Dominus ex aduerso scribens, at idem dicat necesse est de Piperi, de Allio, de Capis, de Sinapi & similibus, cum omnia haec, & alia his mitiora, & calidissima sint, & cutim exulcerent. sed neque ob id, quod stercus sit, neque ex hoc quod sit calidissimum venenum, idcirco est, nam alia stercora Columbino in calore non cedentia per os summa cum feveritate assumuntur, ubi morbus id remedii exposcit. Caprinum stercus datur in potu Ictericis. Dioscorid. lib. 2. c. 72. Setapio de simplic. c. 443. stercus Aprugnum datur ab iidem ad sanguinis rejections. datur item in potu Gallinaecum, Caninum, Lupinum ad colicos dolores, & alias infirmitates apud eosdem. stercus quoque Accipitris datur in potu, quemadmodum & Falconis ad partum accelerandum; Pilo de cur. morb. lib. 3. c. 55. datur & Equinum ad eundem effectum, ut tradit Fumanell. de comp. med. cap. 55.

Sed quas turbas, Deus bone, de Borace movet idem Dominus pro Fisco scribens? qui tamen hallucinatur cum vult Boracem esse Antiquorum Chrycolollam, & detegitur ejus hallucinatio a Fallopio in lib. de Metall. & Fossil. cap. 31. in f. cujus auctoritati multo magis, quam praedicti Domini scribentis pro Fisco deferendum videtur: nam Fallopius concedit quidem Boracem ab effectu vocari Chrycolollam, quia ut Chrycololla Aurum conglutinat, negat tamen, & probat etiam non esse Boracem eam eandem rem cum Chrycololla, nam Borax est species Nitri, & dicitur Borax, quasi Baulach, quod nomen apud Arabes Nitrum significat, Caesalpin. lib. 1. de Metall. cap. 20. at Nitrum quotidie per os propinatum absque ullo periculo, & extant pillulae quaedam celeberrimae Alexandri Tralliani ex Nitro ad morbos tam calidos, quam frigidis juncturam laudatissimae. Sed quomodocumque sit Borace uti nos Medicos quotidiana docet experientia tutissime, imo vel in caniculis ipsis parturire non potentibus ipsa Borax aliquando, & absque periculo datur, ut mihi met ipsi experientia constat. sed & hoc medicamento aucter utuntur classici Medici Recentiores. Fallop. de Metall. & Fossil. ubi sup. Iaventin. in Empir. cap. 47. Montanus in Anasceves morb. tom. 3. lib. 1. cap. 4. Mercurial. lib. 2. de morb. mul. cap. 3. Roderic. a Castr. lib. 4. de morb. mul. cap. 6. & alii permulti, quos congerere supervacaneum puto. Si qui autem Medici dixerunt, Boracem esse venenum, hoc non intellexisse de hac Borace officinarum credendum est, sed de Chrycololla, aut dicendum, illos voluisse esse venenum, largo modo sumpto veneni nomine pro medicamento valido, & quod incaute sumptum maxime nocere possit, & quia medicamentum est, quo Abortus procurari potest, ad quod est valde potens & idcirco connumeratum est inter venena, quae prohibentur vendere Aromatarum absque Medicorum licentia, ut Antimonium. At non idcirco Borax venenum est, sicuti neque alia multa praenominata medicamenta, quia eorum

aliquando multa utilitas est, venenum autem dicitur, quod semper tale, id est, semper noxium est, Baccius in prolegom. Venen. cap. seu artic. 6.

Consideratis vero jam singulis simplicibus, ex quibus pulvis ille, de quo ambigitur, componebatur; jam considerandum venit totum ipsum pulveris compositum; ac certum quidem est, quod cum totum sit aggregatio partium, Arist. lib. 1. Phys. tex. 17. & alibi; partes autem hoc totum componentes ab occultae venenatae qualitatis suspitione sint immunes, ut probavimus, totum quoque compositum ea suspitione vacabit: nihil enim dat id, quod non habet. Facit. l. Nemo plus Inris. ff. de reg. Jur. ex ea nostris Plato in lib. de Nat. hom. cum ergo partes nullam habeant venenositatem non poterunt illam communicare toto, quod ex ipsis componitur: sequitur ergo non obstantibus quibuscumque tam prolixo deductis, pulverem praesumptum nullo modo fuisse venenosum.

Ac profecto, si pro veritate, & omni Animi affectu semoto, sententia ferenda sit, non modo ex dictis pronunciamus, pulverem hunc non fuisse venenosum; sed praeterea videbimus, a Medico, qui illum composuit, rite ex arte, & debita cum ratione fuisse compositum, ut eo tantum salubri medicamento ad nonnullas aegritudines uteretur: Medici enim intentio ea fuit, ut medicamentum componeret valde exiccans, ex quo duos sibi effectus promittere posset, unum juvandi conceptionem in his feminis, quae uteros humidiores habent, & ob eam causam non concipiunt, unde ut concipiant valida exiccatione egent; cum pateat non paucas ob excessum Vteri humiditatem steriles esse, juxta Hippocr. sententiam lib. 5. Aphor. 45. & 62. alterum effectum conceptionem impediendi in iis, in quibus expediebat, ut infra. Cum ergo in cujusvis medicaminis compositione id sibi proponere debeat Medicus, ut aliquod praecipuum medicamentum, ex quo primario effectum, quem intendit, sperare possit, pro basi compositionis constituat, dehinc alia, quae ad eandem intentionem colliment, vel virtutem medicamenti adaugent, vel vitium, si quod habeat, corrigant, ut Doctores omnes, qui de Medicamentorum compositione agunt, luculenter docent, patet intentionem hujus Medici non fuisse personas venenandi, quia nullum elegit medicamentum, quod a proprietate, & cum certitudine id operari possit, ut jam probatum est. Neque ejus intentionem fuisse ascendum est, ut homines interimeret vel irremediabilem vomitum procurando, vel super purgationem extralem excitando, vel urinam acriter sciendo, vel etiam sanguinem; quia si horum aliquid sibi proposuisset, non miscuisset invicem medicamenta, quae possent sibi in iis operationibus impedimento esse; nam in hoc pulvere quaedam medicamenta sunt diuretica, & menstrua provocantia; quaedam autem ventrem solvantia; quaedam vomitum proritantia, quae operationes in tantum sunt sibi contrariae, ut una aliam omnino impediatur quia Naturam distrahunt ad contraria, & hoc recte a Medico, quicumque ille fuerit, factum est, quia ex hoc medicamento nullam hujusmodi operationem requirebat, sed solummodo exiccationem, & idcirco caeteras operationes contrarias inter se medicamentis obtundere, ac impedire studuit.

Vltimus si in componendo hujusmodi pulvere Medicus intentionem habuisset utendi eo pro veno

veno mortifero, calasset quantum potuisset odoris molestiam, & saporis displicentiam, quæ ex tali medicamento reformare poterat, ut fraudem calaret, neque addidisset alia peioris saporis, & odoris, ut ad Antimonium sabinam, & oleandrum, & sterus columbinum, nam non defuissent multa, quæ & saporem minus ingratum, & odorem minus molestem huic medicamento conciliaissent. Præcipua ergo Medici, quæ hunc pulverem composuerat, intentio ea fuit, ut jam dictum est, ut haberet medicamentum validum existens, utriusque proposito scopo satisfaciens, nempe & ad exciandos uteros in iis, quæ præhumidos habebant, & idcirco non concipiebant, & ad impediendam conceptionem, sterilitatemque inducendam in his, quæ in parte evidenti ac certissimo periculo exponerentur, ut in casu nostro, in quo Elizabetha potionata præsumpta ex partu mirum in modum affligebatur, & in vitæ discrimen veniebat; nam licere hæc Medico extra conceptionem præbere docet abunde Mercurialis. lib. 1. de morb. mul. cap. 11. & alii Antiquiorum, & Recentiorum.

Hanc ergo duplicem intentionem Medico sibi proponente, medicamenta omnia elegit maxime exiccantia quoad passivas qualitates, quoad activas vero partim frigida, ut Antimonium, partim calida, ut cætera, ad hoc ut minor esset caliditas, quam siccitas, quippe cum Antimonii frigiditas caliditatem cæterorum temperaret, unde ex hac compositione medicamentum emergebat valde exiccans, quod effectum sibi propoluit Medico promittebat; nam medicamenta valde exiccantia, in temperie humidæ uterorum facile per contrariam qualitatem subvenire possunt, & quocumque oportunitate sit etiam sterilitatem inducere, quia, ut Hippocr. lib. 5. Aphor. 62. & Galen. in comm. firmabant, ubi uterus valde exiccatus est, semen in eo ex defectu alimentum corrumpitur, dissipaturque, veluti in fabuloso loco projectum semen nullum facilliter nascitur, sed occissime contabescit: præterquam quod huiusmodi valde sicca medicamenta venere cohibent, & semen extinguunt, eodem Galen. teste lib. 8. de simpl. med. fact. lit. O.

Cum ergo pateat ex his, quod Medicus quicumque ille fuerit, qui præsumptum pulverem composuit, non habuerit intentionem utendi eo pro veneno malo, & in damnum humani generis, sed tantum in ejus commodum, & utilitatem, manifestum inde fit, dato etiam, quod Ioan. Bapt. Gattus illum Elizabethæ suæ uxori propinaverit, prout Fiscus ejusque adherentes contendunt, non potuisse illum habere intentionem venendi propriam uxorem, sed tantummodo illam præ presenti ærumna sublevandi, & à mortis discrimine liberandi, nam alias non usus esset hoc medicamento vere non venenoso, sed aliis, ac validis, ac vere venenosis, maxime cum pluries expertus esset, ut Fiscus præsumit, prima, secunda, ac tertia vice speratum effectum non successisse ex hujus administratione, & ideo, nisi lapide obrutor fuisset, medicamentum mutasset, & valentius exhibuisset.

Nec valet ad hoc id, quod Dominus ex adverso scribens objiciebat, nempe quod Ioan. Bapt. desiderabat uxorem lento veneno perimere, nam hoc gratis dictum est, & miror docto viro, quicumque ille fuerit, hæc in mentem venisse, & è calamo excidisse, cum pateat venena temporanea non modo non excitare tam sæva symptomata, ut Fiscus ab

hoc medicamento excitata præsumit, sed nullo manifesto signo sese prodere, nisi lentam, ac non remissibilem febriculam inducendo, sensimque humidum primigenium depopulando, & nativum calorem destruyendo: nam temporanea omnia, ac singula venena, nempe quæ longo tempore post eorum exhibitionem interimunt, ex tabefactientium genere esse docet Cardan. lib. 1. de Venen. cap. 22. & alibi, & ipse Dominus ex. scribens.

Præterquam quod Ratio id ipsum suadet, primo, quia cum tam sævis symptomatibus, ut à Fiscis, & adherentibus in casu nostro asseritur, nequaquam potest hominis vita ad longum tempus protrahi. Secundo, quia quæ temporanea, & lenta venena propinata, id primum student, ut veneni vis nullo modo detegatur, cum ad fraudem contegendam, tum ut veneni vis non detegatur, alias suo sine frustrarentur, cum potionati, si id cognoscere, facile remediis, & antidotis veneno occurrerent maxime in principio; ut ubi tam terribilia symptomata conspicua sunt, vis veneni se manifestissime prodit, & miror Dominum ex adverso scribentem libimetipsum tam aperta fronte contradicere, volentem Ioan. Bapt. Gattum habuisse intentionem venendi uxorem lento veneno, ut sine signis venenationis occumberet, prout omnia lenta venena operari dicit, cum alia ex parte tam multa accidentia ex præsumpto propinato veneno adfuisse inculcet.

Denique, ut ad ea, respondeamus, quæ de signis venenorum pro Fiscis adducuntur, distinguamus ea illa eadem distinctione, qua usus est præfatus Dominus exscribens, hoc est in antecedentia, concomitantia & consequentia; omnibusque rite perpenis, clare patet, ea omnia, & singula, & præsertim quæ evidentiorum probationem facere possent, prorsus abesse, & breviter ad ea omnia quæ pro Fiscis proponuntur, respondeamus, quoad antecedentia, nempe odium Ioan. Bapt. versus uxorem, & consuetudinem delinquendi, diciamus hanc considerationem ad Medicum non pertinere, & bene his ii, ad quos pertinet, satisfaciunt. Illud certum est, quod quemadmodum nulla signa antecedentia dantur propinati veneni ante ejus assumptionem, nisi quædam, quæ præsumptiones proprias, & conjecturæ ab extra vocanda sunt ad Iureconsultos pertinentia, sic è contra plura dantur, quæ ex veneno assumpto præsumpta ab ingenito provenire demonstrare possunt, ut erat in casu præfati status valetudinarius ipsius Elizabethæ, & morbosus corporis apparatus, & alia alias deducta, quæ operantur, ut potius ingeniti, quam assumpti veneni præsumptio vigeat. Galen. lib. 6. de loc. aff. cap. 5. Cardan. lib. 2. de venen. cap. 2.

Quoad signa vero concomitantia, licet plura deducantur in informatione pro Fiscis data, certum tamen est, neque omnia, neque si plura, & majoris momenti adfuisent, commoustrare certo potuisse, venenum fuisse propinatum, non autem ingenitum, cum non dentur alia signa certo distinguentia intervenum ingenitum, & propinatum, ut concordant tam Iureconsulti, quam Medici. Boscius in præf. crimin. tit. de del. num. 15. Cabell. de omnigen. homic. num. 621. Guazz. in tract. ad def. Refor. def. 4. cap. 5. num. 5. lib. 1. & inter Medicos Cæsalpin. lib. 3. præf. cap. 7. Codronch. in method. testif. cap. 6. & alii, unde quantumvis sese defangit, atque exagitet Dominus ex. scribens ad probanda hæc accidentia, sive hæc signa, quæ in Elizabetha conspicua

spicua fuisse dicuntur, ab administrato veneno originem habuisse, nunquam certo deducere poterit hanc conclusionem, unde ut prolixitatem odiosissimam evitemus, hæc sola responsione satisfactum volumus quibuscumque ex adverso adductis circa signa concomitantia veneni.

Tandem circa signa consequentia supplicamus, magnam haberi considerationem, hæc enim maximi momenti sunt, & sicuti ubi præsentia sunt, infallibilem faciunt assumpti veneni præsumptionem, sic ubi absint, omnem administrati veneni suspicionem adimunt. Ac primo inter hæc signa est ipsa mors, hæc enim ut plurimum succedit ad venena administrata, & præcipue si fuerint reiterata; ut in casu nostro, nam tunc suum effectum absque dubio sortiantur, ut Cardan. lib. 1. de venen. testatur. at Elizabetha ex præsumpto poculo non obit, etiam si præsumatur pluries eidem personæ, alitque non semel exhibitum, etiam caniculis, ac felibus, quorum omnium animalium nullum preceptum est, ergo ab hac iterata experientia docetur, hunc pulverem venenum non fuisse.

Sed etiam si mors ad propinatum venenum non succedat, non desunt pleraque signa, quæ ab ipso veneno administrato semper relinquuntur, quæ de necessitate adesse oportuit in casu nostro, in quo idem venenum presumitur uni, eidemque personæ toties fuisse propinatum, ac primo Nicol. Flor. summ. 4. ferm. 4. cap. 8. & Cardinal. Ponzetti. lib. 2. de venen. cap. 8. & alii permulti affirmant, Depilationem esse signum familiarissimum iis, qui à vene-

no administrato evadunt, & maxime ubi venenum erodentem habuerit facultatem, ut in hoc veneno propinato supponitur extitisse, vel ipso D. ex. scribente id firmante, ad hoc signum in Elizabetha omnino abesse, & in nullo alio ex iis apparuit, quibus idem venenum pluries propinatum præsumitur, quod Adversarii negare non audent.

Præterea Cæsalpin. lib. 3. præf. cap. 7. & alii voluerunt; quod venena, quæ suum effectum omnino non sortiantur, quia non occidunt, semper infirmam aliquam noxam, & diuturnos morbos inferant, & hoc quia quatenus talia calori nostro naturali inimicissima non solum cum in corpore existunt illum destruant, sed cum exuperantur, relinquunt intemperiem aliquam cum inpressione occultæ qualitatis nocentem; at in casu nostro tantum abesse, ut ii, qui hunc pulverem assumptisse creduntur, morbo aliquo afficiantur, aut aliquam infirmam adhuc corporis noxam persentiant, ut è contra omnes ac singuli pancreatice valeant; quin etiam Marta quæ per tres continuatos dies pulverem assumptisse dicitur, deinceps utero concepit, quod valetudinarius, & infirmis mulieribus non facile evenire notum est. Facit Hoppocr. Aurecoritis lib. 5. Aphor. 62. & plures alibi, & pro Iureconsultis lib. 5. Rota in Rom. societ. off. Ven. 11. Januarii 1619. coram Card. sacro, & ex his concludendum, pulverem, de quo agitur, vel nullo modo fuisse exhibitum iis, quibus exhibitus presumitur, vel nequaquam fuisse venenosum.

CONSILIVM XIV.

Eidem Domino Renato Monreau.

ARGUMENTUM.

Inter alia medicamenta, ex quibus præsumebatur constare pulvis, quem ad venendum propriam uxorem Elizabetham exhibuisse volebat Fiscus Ioannem Baptistam Gattum, erat Antimonium, de quo peculiariter dubitabatur; An esset venenum, nec ne, volente eodem Fiscis, & ejus adherentibus, venenum omnino esse, repugnantibus nobis pro parte Ioan. Baptistæ ex sequentibus.

SUMMARIUM.

- 1 Antimonium nullam habet venenositatem.
- 2 Antimonium respectu manifestarum qualitarum venenum non est.
- 3 Antimonium non est venenum ab occulta qualitate, vel à tota substantia.
- 4 Venena à tota substantia noxia non possunt ullo modo ad benignam naturam reduci.
- 5 Antimonium vomitum valide proxiat.
- 6 Antimonium non esse venenum ab effectu probatur.

Quia immerito dubitatur de hoc, cum nullus Auctor fide dignus hoc in dubium revocaverit, ac nunquam vel in enarrandis ipsius Antimonii facultatibus, vel in enumerandis venenis, de ejus venenositate quicquam movitaverint, quod nullo modo præterissent, si haberet vel minimam veneni suspicionem, vel veneni accidentia assumptum produceret. Immo qui diligentissime omnia, & quæcumque venena etiam minima, & nulla consideratione digna congesserunt, ut sulphur est, Adamas,

Lauri bacca, Nux rancida, Magnes, Scammonia, Agaricus, & alia etiam his inferiora, nihil de Antimonio meminerunt, quod omni venenositatis suspitione sit prorsus expoliatum, & si liber, videri possunt Gal. in l. de med. simpl. & de comp. Medic. Dioscorid. lib. 6. Plin. lib. 32. cap. 6. Paul. sua Med. lib. 5. cap. 3. Act. lib. 3. Avic. 6. 4. tract. 1. summ. 1. Raf. lib. 8. ad Maufor. Consiliat. de venen. Guain. de venen. cap. 8. Ardojn. qui affluentissime de omnibus agit. lib. 2. de venen. & ex Recentioribus Cæsalpin. lib. 3. sua præf. cap. 50. Paræus lib. 20. cap. 31. & alii permulti. sed & qui de natura Antimonii ex professo loquuntur, nullam in eo venenositatem animadverterunt, ut dixi, sed solum refrigerationem & exiccationem cum adstrictione. Vide Dioscorid. lib. 5. cap. 54. Plin. ubi supra Act. lib. 2. cap. 72. Paul. lib. 7. lit. 5. Cæsalpin. de Metall. lib. 3. cap. 9. & ad utramque conclusionem partem evidentissime probandam, vide Codronch. in libell. de Antim.

Deinde si Antimonium venenum est, vel lædri manifestis qualitatibus, vel occultis, & à tota substantia

stantia (ut prudenter deducit idem Codronch. ibid.) vel ambabus simul. Non manifestis qualitatibus, cum hæc in Antimonio non sint insignes, neque in excessu, nam frigidum est, & siccum in gradu secundo cum adstrictione, ut patet ex Auctoribus jam supra citatis; adde quod si his operaretur, apparent in nocendo earum effectus, tales essent vehemens adstrictio faucium, & guttaris, strangulatio, urinæ suppressio, ventris stipticitas, stomachi gravitas, & refrigeratio, intestinorum dolores, vocis & respirationis oblatio, & alia adhuc modum, at hæc ab Antimonio non provenire satis perspectum est, ergo ratione primarum & manifestarum qualitarum, Antimonium non est venenum.

Sed neque occulta qualitate, & à tota substantia Antimonium est venenum, quia medicamenta, aut venena hujusmodi non possunt reduci per quamvis præparationem, aut repurgationem ad benignam naturam, neque omittit possunt, id quod ab intrinseca forma sortita sunt, ita ut quomodocunque exhibeantur, & in quacunque quantitate semper mortifera sunt. at vero Antimonium dari etiam sine præparatione ulla, & sine repurgatione absque ullo vitæ periculo, & cum præparatione etiam in notabili quantitate ad corpora expurganda, & ad difficiles & rebelles ægritudines edomandas non est, qui nesciat. Matthiol. in lib. 5. Dioscorid. de mat. med. cap. 59. Codronch. ubi supra, & omnes, qui de Antimonio ex professo verba faciunt.

Sed neque simul manifesta, & occulta qualitate Antimonium est venenum, quia eadem rationes simul urgent, ac multo evidentius probant nullo modo illud esse venenum.

Verum ex abundantis confessero etiam quicumque, Antimonium venenum esse, tamen illud certum est, & negari non potest, non esse eis venenis, quibus ad enecandos homines ut quis possit: ratio est in promptu, quia cum unica spes sit in his, qui potionati sunt, & venenum haulerunt, ut ipsum quàm celerrime è corpore vomitu expellant, Antimonium vomitum promptissime ac valide excitare quivis novit, & notant omnes DD. de eo verba facientes; itaque etiam si venenum esset ob hoc ipsum quod ad sui expulsiorem illico hominem cogat, non posset hominem interimere, neque enim in stomacho tanta tempore moram trahit, ut ejus virus sanguini per venas, & arterias communicari possit, & ad cor ipsum pervenire.

Ac denique ab effectu probatur, Antimonium non esse venenum, quia quicumque Antimonium sumplerunt, & ex ejus vi occubuerunt, nunquam mortui sunt cum accidentibus veneni, sed ex simpliciter tantummodo superpurgatione, ut experientia docet, at si ob hoc, nempe quod superpurgationes lethales excitare possit Antimonium, venenum est, certe & scammonium, & Agarius, & cætera etiam benigniora, & innocentissima medicamenta venena erunt, cum omnia possint præter modum usurpata lethales superpurgationes inducere, nam & ipsum Antimonium tunc solummodo tales excitat superpurgationes, cum in excedenti quantitate assumitur, alias nequaquam. Non sufficit ergo hoc ad determinandum, Antimonium esse venenum, sed necesse est, si venenum sit dicendum, ut ab ejus propinatione appareant accidentia illa, quæ ad venenum vel à tota substantia, vel manifestis qualitatibus noxium succedere solent.

CONSILIVM XV.

Eidem D. Renato Monreau.

ARGUMENTVM.

Cum N.N. Tonsor sanus degeret, cum amico affluentius pransus est. A comestione nonnullis elapsis diebus, senim in Ictericam, seu Regium morbum incidit, ac procedente tempore, totum illi corpus virore defædatur est. hinc, nulla cura adhibita, in fatuitatem, & demenciam lapsus est; ac tandem vitam cum morte commutavit. Cadavere adaperto, Intestina tumefacta apparuerunt, & coloris citrini, Pericardium omni humiditate destitutum, sanguis in Cordis ventriculis congelatus, & ipsius Cordis substantia pravi coloris, caput tumefactum, labia admodum grossa, Pulmones coloris citrini, & secundum alas nigricantes, ac Mediastino, & Pleuræ adherentes; Lien mollis, ac diffluens, & alia nonnulla signa attestantia veneni propinationem. P. in quem reatus suspicio cadebat, à fisco in carcerem detrusus est, & quæsitum pro veritate ab ipso fisco est, An N.N. ex propinato veneno, vel ex ingenito, & ex intrinseco aliquo morbo occubisset, & respondi.

SVMMARIVM.

- 1 Præsumptio propinati veneni ex antecedenti statu Regotantis est magni momenti.
- 2 Concomitantia signa quomodo propinatum venenum attestantur.
- 3 In veneno propinato accidentia supervenientia nullum ordinem servant.
- 4 In veneno propinato non solet adesse febris, ut in ingenito.
- 5 Venenum aut est corrodens, aut putrefaciens, aut inflammans, aut congelans, adde, & tabefaciens.

- 6 Venena externa vel sunt presentanea, vel temporanea.
- 7 Temporaneum venenum lentum est, & ex genere Tabefaciens.
- 8 Data causa disposita ad agendum in patiente dispositum ad patiendum, necessario sequitur effectus.
- 9 Signa assumpti veneni in ipsa assumptione apparentia, sunt magni momenti existimanda.
- 10 Accidentia ex propinato veneno provenientia, cum impetu apparent, contra ex veneno ingenito.
- 11 Fatuitas ex morbo Regio mala.

Non

Non immerito dubitari, an N.N. ex propinato veneno obierit, nec ne, cum pro affirmativa opinione tot adinst coniectura, ut præsumptiones non numero solum, sed etiam pondere urgentissimæ: nulla enim signa desiderari videntur aut ex Antecedentibus, aut ex concomitantibus, aut ex subsequenter, quæ propinati veneni suspicionem facere, ac mirum in modum augere possint. Ac primo urgentissima videtur ea præsumptio, quæ ex antecedentibus desumitur, ac maxime ex statu ejus, qui venenum hausit dicitur; si enim status hic secundum Naturam fuerit, & vires consent, & errata invidus ratione saltem insignia non præcesserint, irrepente subitane, præcipiti, ac pernecabili morbo, facit fere plenam probationem propinati veneni, cum hac sola conjectura fisis Galen. lib. 6. de loc. aff. cap. 5. & cum eo DD. omnes de ejus rei certitudine non hæsitante pronunciant, quæ coniectura cum in casu nostro vigeat, cum N.N. immediate ante præsumptam veneni acceptionem optima sanitate frueretur, & viribus constaret, dicendum, eam non modo maxime urgere, sed conclusivissimam de tali veneni propinatione, probationem facere.

Nec minus urgere firmandum est, eam præsumptionem, quæ ex concomitantibus signis elicere possumus; si enim seriem symptomatum, quæ in hoc ægotante apparuerunt, eorumque naturam, & assidendi modum considerabimus, non nisi à propinato veneno potuisse emergere fatebimur; quippe cum primo fuerit perniciosissima, terribilia, & exitialia, naturamque illico prostraverint, ac superaverint, quod non verisimile sit accidere potuisse ex Ictericis ab interna causa procedente, in qua præter corporis immutatum colorem, non solent adesse hujusmodi prava accidentia, immo neque alia ulla consideratione digna, non quidem alia ex causa nisi quia humor morbum faciens ab internis ad externa prorumpit, unde consequens est nobiliores partes à peccante humore liberare, & nullam ex ejus vi noxam percipere.

Secundo si modum adventus horum symptomatum spectemus, ea non sensim; & ordine quodam, ut in morbis ab interno veneno provenientibus evenire solet, apparuerunt, sed potius cum impetu, & confertim, nulloque ordine servato, quod in administrato potissimum veneno fieri solet, ut docent Card. lib. 2. de Venen. cap. 2. & Baet. in Prolog. de Venen. cap. 17. art. 1. Ac si denique seriem horum symptomatum consideremus, id ipsum clare apparebit, quia in veneno ingenito hæc symptomata nunquam sunt sine febre, contra in veneno administrato, ut in casu nostro, in quo febris adesse non solet, quod ita fieri longioribus probavi lib. 2. Quest. Medicoleg. tit. 2. quest. 8. num. 5. & seqq.

His addenda signa ex cadavere post Ægri mortem desumpta, quæ & ipsa magni sunt momenti, neque videntur apparere potuisse in cadavere morbo naturali extincto, ut Intestina tumefacta, & coloris citrini, cordis substantia pravi coloris, & alia in historia morbi enarrata, quæ sicuti propinato veneno sunt familiarissima, & proportionatissima symptomata, ita naturali ægritudini, & maxime Ictericæ præcipue nulla febre concomitante videntur omnino disconvenientia, & improporionata. Ex quibus omnibus videbatur certitudinem nos habere posse, quod N.N. ex propinato veneno, non autem & ingenito, aut interno aliquo morbo perierit.

Verumenimvero si res penitus consideretur, & effectus omnes in hoc usu apparentes suis causis referantur, contrarium apparebit verius, & omnis suspicio propinati veneni evanesceat, quod ex sequentibus fundamentis facile palam fiet. Dicendum ergo primo, quod licet particularium venenorum difficillima sit cognitio, cum alicui propinatum, ut omnes norunt, tamen ea noscere secundum suas species non modo non est difficile, sed facillimum, posito, inquam, quod de propinato veneno certitudo habeatur. Demus ergo N.N. cum effectu assumptis venenum à P. sibi clam propinatum, ac per fraudem, tunc dico, quod hujusmodi venenum fuit corrodens, aut putrefaciens, ergo, ut inflammans, aut congelans, adde aut putrefaciens (licet hoc cum putrefaciens conveniat, exicatio enim quædam species putrefactionis est) ad has namque species omnia venena reduci possunt, at hic nullum hujusmodi veneni signum apparet, ergo. Et quod non fuerit corrodens patet, nihil enim apparuit ante, aut post, aut in ipsa assumptione, quod pro signis veneni desumi possit; quod non fuerit putrefaciens, patet, quia ab hujusmodi veneno maxime patitur primo stomachus, & jecur, cum tamen in cadavere hæc duo viscera nihil omnino læsa apparuerint; quod non fuerint inflammans patet, quia non modo calor nullus adfuit in ipso potionato, sed etiam à febre fuit immunis. Quod non fuerit ex genere congelantium manifestum est, non apparente ullo hujusmodi veneni signo; Quod denique non fuerit tabefaciens, ex ipso successu palam est. Ergo restat, quod N.N. ex morbo potius quodam interno, quicumque ille fuerit, quam ex propinato veneno obierit.

Secundo, notandum, quod venena administrata aut sunt presentanea, aut temporanea; illa subito, & maxima cum vehementia, aut paucorum dierum spatio, hæc lente, ac sensim, & longo post tempore operantur. Modo quod N.N. non assumpserit venenum presentaneum patet, quia à præsumpta veneni assumptione per plures dies, nempe per unum supra viginti nullum evidens symptoma, nisi mutationem coloris ipsius cutis passus est. deinceps symptomata sensim apparuerunt; cum primo Ictericus factus sit; post multos vero dies in pejus lapsus fuerit, non fuit ergo venenum hoc presentaneum. Sed neque diu potest fuisse temporaneum; primo, quia mors nimis propere videretur secuta, temporaneum autem venenum suum opus ad longum tempus retardat, & lentum est in operando. Secundo, quia temporanea venena omnia ex Tabefacientium numero sunt. Cardan. lib. 1. de Venen. cap. 22. & alibi, at N.N. nullam emaciationem, ne dum Tabem passus est, nec quid simile; remanet ergo; ut non ex propinato veneno, sed ex ingenito, vel potius ex aliquo alio interno morbo fuerit sublatum.

Notandum tertio, quod data causa disposita ad agendum, nulloque impedimento ex parte patientis existente, sed potius dispositionibus ad patientem ex ejus parte requisitis urgentibus, necessario sequitur naturalis effectus, ut Philosophis est compertissimum. At si supponatur in hoc casu fuisse propinatum venenum, cum hoc fit causa maxime efficax ad agendum, & nullum supponatur ex parte patientis impedimentum ad resistendum, saltem per tantum temporis spatium, necessario ad illius assumptionem debuit sequi illius veneni effectus, nempe aut Naturæ succumbentia, aut illius pugna

ij. M m m 3 cum